HOSPITIO EXCEPTAM

AB ELISABETHA DEIPARAM VIRGINEM

Prosequuntur

Latinè, Græcè, Oratoriè, Poeticè.

STEPHANVS LOMELLINVS GENVENSIS.
VALERIVS ARIGVTIVS PERVSINVS.
GEORGIVS SPINOLA GENVENSIS.
Sem. Rom. Conuict.

ROMÆ.
Ex Typographia Francisci Corbelletti.
MDCXXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

A. Torniellus Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius, Sacri Palatij Apostolici Magister.

ELISABETHAM INVISENS VIRGO

VETEREM HOSPITII MOREM EXSEQVITVR.

Oratio habita

A' STEPHANO LOMELLINO GENVENSI.

DVM numinis hoſpitam excipimus Virginem: ſolemnem hoſpitij morem exſequimur cum plauſu ſalutatione ſacrificio. Et non irrepant omnes letitiæ nobis in ſinum quibus auſpicato oboritur in Hoſpitium Virgo acceſſu planè Solari. Certè, etiamſi de montibus orta, ſe potius monticultricem probauerit Lunam: cum tamen ipſo Sole ſit fœta quem Amoris obumbrantis in Ecclipſi languentem noſtræ humanitatis tela veſtiuit: mulier amicta Sole, mirifica mutatione Sol euaſit. Quando igitur Solis aduentum inductis Hilarijs veteres colebant, & tota rerum Vniuerſitas cum plauſu excipit, & quotidiana lætitia: quia nimirum in illo ſuas iam diuinat fortunas, & antecapto gratulationis officio maſculi ſideris veneratur initia. nos etiam par eſt noſtra Hilaria celebrare, dum adoramus in Virgine aduentantem Solem, cui pro radiorum corona communicata diuinitatis nobilitas eſt; pro iubaris honore ſplendoris inacceſſi Maieſtas; pro aureo curru Charitas, Virtutibus acta iugalibus; pro Aurora etiam, quæ noctem di-

sturbet horroris; sospitalis est Aura oris, cuius aspectu teterrima quæque serenantur,

Adest ergo nobis hospita Virgo, quia Sol etiam hospitatur in terra: sed hoc, benignius, atque præclarius nobiscum agitur, quod dum excipimus Virginem non radio Solis, vt terra delicatè libamur, sed ipsius numinis præsentissima virtute peruadimur, & beamur. Vt iam execremur humani ritus degeneres nationes Aegyptios, Afros Gamphasantes, quos profectò vellemus proscriptos, interque agnatas pecudes è finibus humanitatis amandatos, si visa semel hac peregrina incicores obdurassent. quamuis proculdubio quas oras Hospes Magna succederet, quos homines viseret in humanos derepente pacasset sensuque insolito humanitatis afflasset illa quæ vno coniectu oculi auolare fecerat ad se numen inquilinum; seueramque olim, ac tetricam illam Maiestatem ita molliuerat, vt planè faceret humanam: & quæ hospitio omnes gentes exceperat, asylum ipsa commune, ac diuersorium perditæ mortalitatis, Numinis & hominum hospita, nacta esset apud quascunque nationes hospitium. Quare barbariem condonamus populis asperis, & efferatis qui nullos vnquam tales hospites offenderunt: Et nunc si nunquam alias sacrosanctam Hospitij Religionem veneramur: non quia ille nobis exemptus est scrupulus, qui torsit antiquos, ne deorum aliquem humana sub facie latentem aut interdicerent tectis, aut Lycaonio facinore haberent inhumanius: sed illa contigit sors supra votum, vt Deiparam atque inuolucro Corporis conterraneum exciperemus Deum: profectò bona ope aucti fortunatique quoniam non Apollonium Thyanæũ diuinũ hominem temerè habitum cum Babylonio Rege recepimus nõ Idæi numinis hospites commẽtitiã cùm Scipione Deorum matrem: sed germanam Numinis parentem & Arcam Dei nulla Sacrorum vmbra, sed ipsa Diuinitatis præsentia refertam intra nostras ædes induximus. Ne verò taciti tantæ dignationis beneficium dissimulemus, age accedentem Peregrinam venerabundi de more salutemus variaque adhibeamus nomina: vt alienã nomenclaturam detestãtium Numinum ritum sacremus potius quã sequamur. Venisti Meta felicitatis, Diuinitatis cõfinium, mortalitatis sequestra, Orbis Patrona, naturæ priuilegium, Virginitatis accessio, Sospitatis Ara, Virtutis Augustale venisti? Venisti Diuini operis argumentum, Vniuersitatis delicium, atque breuiarium, Emporium

porium commercij salutaris, Tessera fœderati numinis, Salutis patrimonium, Adytum sacrorum, Volumen miraculorum, in quo rerum omnium scientiam, atque ornatum vno Verbo contraxit Deus. Venisti vno Deo minor Virgo, ausim dicere, par Deo: si nō etiam maior es iure matris: & quorū aciem mētis meritorū excelsitate fugiebas: oculos amicissimo conspectu consecrasti Tu, quæ, vt faceres Omnipotentiæ fidem: eum, qui fecerat omnia ipsa fecisti. Elaboro in tuæ salutationis perquirenda nomina, nec inuenio. Excelluit aliqua sanctimoniæ laudibus fœmina; sed hæreditaria labe primæ conditionis obsoleuit: illius adolescens ætas virtute vernauit; at effœta senectus elanguit: aliam sanguinis claritas, sed non etiam animi nobilitas honestauit: illa ante nuptias integritatem, castimoniā illa tenuit in orbitate: hæc oris venustate floruit; at iactura pudoris exaruit: prolem illa relicto flammeolo; Virginitatē illa innupta comparauit: filium hæc edidit; sed hominem genuit. postremò nulla adhuc extitit mulier, cuius ornamenta virtutū nulla vitiorum contagione fœdarentur; vel certè cuius esset laudatio omnibus numeris absoluta. at tibi vni, Virgo ingenua, tanta omnis gloriȩ accidit dignitas, tanta virtutum concinnitas, tantus laudum omnium consensus: vt & innocentiam vitȩ originis sanctitas, & sanguinis claritatem integritas animi, & formā pudicitia, & pudicitiam fœcunditas, & fœcunditatem prolis diuinitas cumularit. Interea quia penè vulnero, & excellentiā, & moderationē tuā, cùm priuatȩ sortis titulis, cùm tuarū commemoratione laudum, intercisa salutatione nostra, Virgo, tutè ipsa reliquum hospitij morem exsequere. Et Videte. A. quam comiter atque humanè ritum omnem veteris hospitij Virgo persequatur. nec mirū: A' Numine didicit sese moribus nostris aptare: & dum fœcundo Diuinitatis illapsu in Deum modò abijt diuinum esse didicit sese ad homines abijcere, ad eosq; benigna propensione, ac facilitate descendere. Quia igitur hospitum erat ignotam terrā salutare, eamque leuiter osculari: idipsum Virgo in limen hospitij progressa seruauit. Annon, dum salutare Elisabetham iubet, vnaque impertit salutatione abstrusum in vtero Ioannem: terram, non sine osculo salutauit? Profectò vbi vox olim Numinis operosa super Abyssi faciem insonuit, & alluuionem dispescuit aquarum, & stuporem brutæ telluris excussit: è vestigio tellus adhuc incognita in montes excessit: decessit in valles, in planities excurrit: in flores etiam stirpes, atque

ficax Verbo hoſpitaliter ſuorum terram alloquitur: & inde Eliſabetham ſenio frigeſcentem Spiritus ſanctus impleuit, ille ſcilicet ſpiritus, qui ſubiectis olim incubans vndis vitalem animam, caloremq; generoſum rerum cauſſis diſſeminauerat: & Ioannem tetro primigenij ſceleris torpore iacentem Virgineæ vox ſalutationis vbi tetigit, ita prorſus expergefecit, atque vegetauit: vt reſtitutus ſibi demum beatiſsima autumnitate floruerit; & oſculum amici iam numinis expertus gaudio exultauerit inexpleto. Inter hæc Eliſabeth prodigio perculſa, miraculiſque inteſtinis excitata, adeſſe facilè numen in hoſpita Virgine animaduertit: Hoſpitalem igitur Athenienſium ſecuta morem, ſiue potius amori obſequuta ſuo, Aduentitiæ diuinitati conceptis verbis ſacrum inſtruxit, & thureas inter preces, ignemque pacalem pietatis, prolem ſuam iam Cœlo iuratam Victimam, Amoris igne torrendam, anili pluſquam fortitudine, & non ſine exempli incremento gentilitij, Charitatis cultro mactauit: Virgo contrà integerrima præſens Aris numen, immo etiam Ara numinis, & Sacerdos, Amoris ſacrificium Hoſpitalis, laudatiui carminis oraculo conſummauit.

Ita Virgo noſtris hoſpita in ædibus hoſpitij more omnem exſoluit, hoc quidem laude, ſtudioque digniſsima noſtri pectoris, quod pia comitate, vt aiebam, noſtris ſe rationibus tenuauit, at mihi hoc ipſo receſſuri mox gaudij cogitatio doloris eſt cauſſa immedicabilis, quòd Hoſpita, non Domina dicitur aduenisse; perinde quaſi non poſsit, ſi velit, & ò velit, nanciſci in cordibus noſtris non hoſpitium modo trimeſtre, ſed domicilium æternum. Dixi.

ΔΕΙΠΝΟΣ ΞΕΝΙΚΟΣ

Λόγος

Ἀπὸ τοῦ Ουαλερίου τοῦ Αργυτίου λελεγμένος·

Προκαμόντας μετὰ τῶν τῆς ὁδοῦ πόνων ἀνιστᾶν τὰ λουτρὰ καὶ τὰ χρίματα προσδεῖ. μετὰ τούτων δεῖπνος, καὶ τρίκλινος. ἐν τῇ δὲ τραπέζῃ ὁ ἅλς τῆς βεβαίας φιλίας σύμβολον φέρεται. τελευταῖον αἱ θαλίαι σὺν ᾠδαῖς παραμυθίαις. Τοιαῦτα δὲ πάντα τῇ Παρθένῳ ἡ Ελισαβὲθ ἡ εὐαγγοῦσα ἐκ ἐσκεύασε, οὐ γὰρ ἦν θέμις. Τὸν μὲν τρίκλινον σὺν χάρισι στορνῦσθαι ἔδει τῇ ξένῳ κεχαριτωμένῃ, τὸν δὲ ἅλα οὐκ ἄν. αὐτη γὰρ σωμυλία ἐστὶ τοῦ θεοῦ, καὶ τῆς γῆς ἅλς. Πρὸς δὲ τούτοις ἐτίθεντο τὰ σιτία διὰ τοῦ Ἔρωτος μασθοῦ μόνον τίμια. Ἔπειτα λιγυρῶς ἐκάλεσε τοὺς οὐρανίους εἰς τὰς ὀμφάς. οἱ μετὰ σπουδῆς τοῦτον ἐπέτελλον μῦθον.

Ἔξιτε οὐράνιοι. νῦν δώματα λείπετ' Ὀλύμπου.
Νῦν ἀτρεκὲς θνατοῖς ἀγγέλλετε πολύτι χαίρειν.
Χαῖρε μέλημα θεοῦ· τὸ καλοῦ νῦν πάντα πεπόνθεις.
Καὶ ἅμα Παρθενικῶν, καὶ μητέρος ἆθλον ἀποίσῃ.
Τετράκις ὀλβίση ἔχε μητηρ' υἱέα θεῖον.
Ἐννάδι καὶ μηνῶν τελ' αὐτὸν λάμβανε κόλπῳ.
Νεύμεθα δ' ἄμμες ἐς ἄντρον, ὅταν βρέφος ἤπιον ἔξεις.
Ἔδετε ὦ ἑταροι, γλάγος ὡς ἔρρευσε παρειῶν.
Φάεα καὶ νεύοντ' ἐς γῆν. ἄγε λήγετ' ἀοιδῶν

Οὕτως, λεγομένου τοῦ δείπνου, ὡς Ἔρως ἐκέλευσε, τῇ ξένῳ τῇ θείκῃ ἡ Ελισαβὲθ προσεφέρετο.

AB ELISABETHA VIRGINIS MENSA HOSPITALIS

Orationis Græcæ Habitæ

A VALERIO ARIGVTIO PERVSINO. PARAPHRASIS.

DEFESSOS ab itinere hospites lauacrum, & vnguēta leuabant: inde cœna reficiebat Hospitalis. Primum omnium tricliniis instratis apponebatur ad primam mensam sal, vt amicitiæ constantia monstraretur: quādo Salis est efficaci aspersione durare corpora, & interitus secura præstare: addebantur postea cæteri missus: ad myrtū denique canebatur. Hæc omnia ne peregrinæ Virgini exhiberet Elisabeth, dignationis excellentia supremæ prohibebat. Et triclinia quidē insternere poterat, tribus consecrata Gratiis: quia plena Gratiis Virgo erat: fessæq; mortalitati puluinar, & requietē instrauerat; at nefas duxit apponere Sal: ne Virginali fidei, aut integritati detrahere videretur, & sanè nouerat Virginē lepidam esse venustatē Cœli, & sal Terræ, quæ fatuam mortalitatē nostram ita condiuerat, vt allicere posset Numen, & inuitare Conuiuam. Apposuit tamen Elisabeth fercula tenuia quidem, sed magno parata sumptu, quia precio Amoris comparata. Et memorans olim Abrahamo suo tres incidisse hospites, vnumq; cultu Numinis adoratum: ipsa etiam beatissimum, vt ita dicam Triumuiratum in vna Virgine venerata, subcineritiū panem, Diuinitatis in luto abditæ symbolum; & tenerrimum Vitulum, mortalitatis scilicet victimam; & pro secundis mensis butyrū, & lac, hoc est beneficentiæ diuinæ conciliatæ per Virginem dulciaria præparauit: ad myrtum denique, vt caneretur de Cœlo Melicos aduocauit, qui Deiparam exornarent.

Ite foras superi, patriumq; relinquite Olympum:
Nunc plaudunt agris mortalibus otia Pacis.
Cura Dei salue, eueniunt cui dextera cuncta;
Virginis, & pariter Matris, quæ vota tulisti,
Ter felix: sobolem foueas per viscera Diam,
Perq; nouem gestes felicia pondera menses.
Nos etiam stabulum, paries vbi Virgo, colemus.
Vidistis socij subito, vt perfusa pudore
Erubuit, rupitq; oculos. Vos rumpite cantus.

Ita mensæ hospitalis ceræmonias munificentia planè regia Modiperator Amor in Elisabetha Virginem hospitam excipiebat. Dixi.

DECE-

DECEDENTE AB ELISABETHA VIRGINE SYMBOLVM SIVE TESSERA HOSPITII

Carmen Partheneroticum.

HABITVM A' GEORGIO SPINOLA GENVENSI.

SI nescis, perij: mihi sospita diua recedit
Sola salus misero. Viuo cum proxima Virgo est,
At quoties aberit, toties & Vita recedit.
Florea contingit mihi mens, Sol aurea diua est,
Si quando abscedat, tum funeris exoritur nox.
Vt semel aspexi, nostrisq; illa hospita tectis
Successit: mihi me rapui; totisq; volaui
Nisibus, inque vna duco nunc Virgine vitam.
Vita ibi cum corde: hic solum mea restat imago.
Quæ vidi nunquam Soles videre priores.
Cætera mi sordent vbi diuam proximus hausi;
Cætera pulcra forent nisi me Diuæ ora beassent.
Proh quales zatheo fudit de pectore voces.
Totum certè instar diuinæ vocis in illa est.
Certè aliquid secum fouet illa, abditq; repostum.
Magnum aliquod gestat pollentis philtron Amoris.
Nota sibi est nimium, quodque abdit, vibrat, & vrit.

…no me aspectu cepitque, Vssitque volentem.
Meque habet altus amor, diua me corripit æstus,
Et maior mentem Deus vrget. Virgine in vna
Hæreo, & insuetis diuexor motibus impar.
Cor malè tabescit, captat tamen otia pacis:
Spontè ardet, largeq; gemit, nec flere coacto
Proderit. at lacrymans ridet; fruiturque dolore:
Candida pax me destituit, nec prælia sector.
Et spero metuoq; simul, rigeoq; flagroq;
Astra super volito, sed vallibus hæreo in imis,
Dumq; nihil capio, terras complector, & vndas.
Spem nempè ingentem tenuis sinus excipit ægrè.
Sic me diua egit: sic vis versauit Amoris.
Nunc iterum in montes, Iudæaq; culmina gressum
Colligit: at mihi non vlla cor arte quiescit.
Ne sine me abscedat, concedet cor mihi secum.
Non ibi sum credas vbi sum, à me dicto libenter
Iret cor. Tamen illa negat; comitemq; recusat.
Cor suspirat amans: curasq; è pectore proflat.
Hei mihi in has auras mea spes difflata peribit.
Ibit diua procul mea fax: at flamma manebit
Intima, & exstillans erit ignis lacryma testis.
Quid moueas anime? ingenium nil torpet amanti.
Scis quid agam demum? Hospitij de more paranda est
Tessera cum xenijs, & grati Symbola Amoris.
Quæ Cælum dotale premit, quæ numine diues
Imperio terras, tractusq; coercet Auernos:
Munera, & hospitij tenuem indignatur honorem.
Vnum amat: hoc studeam. ne lubrica temporis ætas
Deterat hospitij monumenta; vt tessera vtrinque
Aptetur, scissasq; dein disiecta per oras
Dimidiet partes, vt si quando hospita rursus
Tecta hospes visat: coniuncto fragmine monstret
Integram tenuisse fidem, iurataq; dicta.
Quare age dum Virgo secum, numenq; moratur;
Tessera ab integro quæ diuidat vna duorum
Pectora, & adiungat, tibi compingatur Amoris

 Hoc

Hoc opus est: ipsi facile conflantur in vnum
Pectora discidio quæ separat inde salubri.
Quod fortassis amas tibi quæ præsentia demit
Acrius, & demum cum perdis tua tum bona sentis:
Dimidio alterius complectitur alterum, vt vnum
Se sibi non reddat, sed pars sibi dissita, secum
Dimidium seruet, reliquum permittat abesse.
Sic iubet vt pariter contingat Vita duobus
Vnica, in alterius dum permeat ossibus alter.
Miscet Amor formas, vnumq; effingit Amantes,
Et quia pars sese sibi iungier ambit: abisse
Dum sentit partem, per corda aliena requirit,
Inuentamq; fouet, studioq; affectat anhelo.
Perspicuo studet in speculo quod finxit Amoris
Flamma, animus; sese videt intimus, & sua tentat
Signa, atque agnata congaudet imagine formæ.
Sic olim expressos oculos puer, oraq; cernens
Plausitat ipse sibi, blanditaq; in Icone figit
Oscula, & amplexu prensat sua symbola inani.
Sic se mens ductu cogentis versat Amoris,
Atque abit exterius, seseq; oblita relinquit.
Ac veluti deprensa mari, & strepitantibus Euris
Cymba per vndosos rapitur sine remige tractus.
Nec satis est mediam sibi viuere: tota liquescit,
Atque nouos animos, nouaque induit ordia mentis.
Quid non præstat Amor? mortalia numine complet
Pectora, & afflatu reddit diuina potenti.
Iam nihil humanum sapit vltra: pectora sentit,
Atque sinus penitus decessisse. omnia perdit
Vota priora: abicit curas, & ludicra ducit
Seria quæ quondam studia inspectabat inani.
Desipiunt Charites; vernantesq; oris honores:
Funestè viridant horti, Rosa sordet in ostro,
Quin etiam gazis quas tellus vndique apertis
Effundit gemmas, rutilumq; igneumq; metallum,
Subiectasq; plagas pelagi, spatia alta globorum,
Sideraq; & latè complectentem omnia mundum

Terrigenasq; , animus , proceresq; comantis olympi,
Ipsam etiam superum sedem, cumulumq; decorum ,
Despicit . ast vno precio contentus Amoris
Diuinis inhiat titulis formamq; Deamq;
Induit allapsu propiore, hominemq; relinquit.
Quid mea felici non tentas pectora nisu
Acer Amor, memeq; mihi furaris, amice ?
Da facilem votis aurem, noua degener orsa
Aggrediar, profugusq; mei mihi distrahar vltrò,
Quo tu cunq; rapis. quid non vis cogit Amoris ?
Mortales infert superis, æquatq; Tonanti.
Ipsum etiam rerum dominum , qui fulmine terras
Concutit : æterna qui ducit origine seclum ;
Quique supercilio Indigetum, Alituumq; minorum
Numina perterret : qui fœdere temperat æquo
Annorumq; horas; terraq; vndaq; tumultus :
Omnia qui lustrat, vegetatq; fouetq; benigna
Virtute infusus : qui cœca pericula, & astus
Atratamq; luem, fletusq; & funera ridet :
Arbiter excelsa mundum statione coërcens :
Ipsum etiam peruasit Amor. rapuitq; Tonantem .
Terrigenum nuper stimulatus pectora curis
Se sibi diripuit, sceptrumq; oblitus , & orbis
Imperium penè exosus : mortaliaq; ora
Induit , atque vices induxit vultibus æquas,
Ergo inijt lustrorum orbes, inijtq; minantis
Iura necis; lacrymasq; truces, sociosq; labores
Pallentesq; metus , & funera dira vocauit .
Sic Amor omnipotens præstaret numine : idipsum
Si non esset Amor numen. sic Vincit Amoris
Vis etiam se, cum sibi demit , & altera quærit
Queis sese inducat rursum, sic conflat, alitq;
Igne animos auido, fingitq; atque arctat in vnum :
Diuisosq; simul tali ratione refundit ;
Alter, vt alterius stupeat se viuere sorte .
Dimouet è sese, nec sustinet acer amantes
Esse suos Amor : inq; alios transfundit, & vrget

Iungit, & aggressus numen quasi diripit. An non
Aduertis! Deus ipse sibi sine fraude relictus
A se discedit, perq; omnia fusus amore,
Omnibus incumbit, lapsusq; vigore benigno
Et rerum caussas animat, nutritq; propinquus,
Immensiq; operis se cunctis partibus aptat!
Et viget in lymphis, exundat in æquore, in orbes
Voluitur, effœta solers tellure residit:
Et sapit in pomis, in floribus emicat, ardet
In flammis, nitet in gemmis, radiatq; sub astris,
Sufficit & robur dextræ, frontique decores,
Fulmine terrificat, pacaliq; Iride sedat
Idem Terrigenas. Idem vndiq; & vndiq; oberrat
Et studio cunctis se miscet rebus amico.
Nil est quod non possit Amor. speremus Amantes
Virginis. abscessum solabimur arte & Amoris
Tessera iam fiet de cordibus vna duobus.
Tessera quæ abscessu nutantia corda supremo
Dimidiet memor hospitij, legumq; sacrarum.
Sic mihi me demet, sic me mihi Virgo relinquet.
Sic licet ire: ibit pernix, vnàq; manebit
Hospita. id Elisabeth longæua, & clausus anili
Ventre puer prior effecit. sibi numinis addit
Particulam. Quarè prognatus imagine luces
Ludet inexpertas. arasq; & thuris acerram,
Numinis & votum, parilesq; videbit honores
Deferri, & simili dicetur nomine Numen.
Vsque adeò ingeniosus Amor commutat Amantes.
Ergo age dum tendis Virgo hospita periuga, perq;
Compita cœptum iter: abscessum mea Tessera signet
Vt quæ vel seiungit Amor, vel nectit in vnum
Pectora consimili feruescant acta vigore.
Et si quando memor nostræ quam tu hospita nuper
Mentem inuisebas, seriem voluentibus annis,
Sub tua tecta vides, accommoda tessera monstret
Nos vixisse tuos. similiq; arsisse calore.

Virgo nec pergas? iam tessera nostra parata est.
Me cape dimidium, aut si malis, accipe totum.
Te modo dimidiam aut si malis reddito totam.
Sic mihi me demes, sic me mihi Virgo relinques?

VIRGINI

VIRGINI DEIPARAE IN ELISABETHAE HOSPITIVM DIVERTENTI

Occursus

METRIS MISCELLANEIS

Montani, Euphonillus, Corydon, Melanillus.

MELOS PRIMVM.

FALLIMVR! an properat Virgo? properate sodales
Monticolæ, incedit supremo in vertice Virgo.
Euphonille quid silescis?
Cape plectrum cape plectrum
Quate chordas, quate montes.
Modulisq; digitisq;
Euphonille ne silescas.

Euph. *Has certè amicat auras,*
Mulcetq; diua Solem,
Tam lepidè Zephyrus flat,
Tam placidè rutilat Sol.
Vidistis vt repente
Risere tesqua circum?
Et platani streperæ sunt
Et coryli sonitum dant.

Mæstus recessit horror,
Et vmbra syluicultrix,
Hinc abijt minitans nex,
Huc hilaris redijt pax.
Funestæ iere Tigres,
Et squamei dracones :
Nec rabidus fremitat dens,
Nec feritas vlulat trux.
Huc Virgo si propinquet
Feliciterq; montes :
Si niueus celeret pes,
Si propior radiet frons :
Nemus hoc, nigræq; syluæ
Fient pares olympo.
Sic properet superum lux,
Sic aberit nemorum nox.

Cor. *Si male non fallor; specula prospecto sodales*
Diuam accedentem, huc auidas conuertite luces,
Prospectum capite: incessum, vultumq; notate.

Mont. *Desipis ò Corydon, qui te tibi distulit error?*
Cerne iterum Corydon, nihil est quod lumina spectent.

Cor. *Certè ego decipior, me vis illusit Amoris.*
Parcite qui nostis sibi somnia fingere Amantes.
Melanille ne moreris
Ad lugubres auenas,
Tenua meos dolores,
Melanille ne moreris.

Mel. *Me fugit heu vox;*
Sic male disturbat funesta me nox.
Et inter errores,
Nigrosq; mœrores,
Mi cor inhorrescit,
Et malè tabescit.
Sic abit heu vox
Sic malè disturbat funesta me nox
Est mori. mi mora.
Quin ades Aurora?

Et

Et tenebras quatis:
Nam perimor fatis.
Sic abit heu vox;
Sic malè disturbat funesta me nox.
Aut fallor, aut viuam:
Nam conspicor diuam.
Me cura relinquat.
Iam diua propinquat.
Sic redit en vox:
Sic benè dissoluit funesta me nox.
Qui fallit aspectus
Mi lancinat pectus:
Nil credite: biantes
Falluntur amantes.
Sic abit heu vox:
Sic malè disturbat funesta me nox.
Nunc vera procedit,
Nunc cernite accedit:
Nunc ora notaui,
Gressumq; probaui.
Sic redit en vox:
Sic benè dissoluit funesta me nox.
Heu rursum deludor,
Heu dulci spe nudor:
Me diua repellit,
Me diua fefellit:
Et perit heu vox,
Et malè disturbat funesta me nox.

Cor. *Et nihil, & nimium videt, idem cæcus, & idem*
Argus Amor. Corydon oculis nil prospicit vltra.

Mont. *At quid cunctamur? Diuæ occurramus, & vltrò*
Montani properemus iter, propiúsq; beatos
Spectemus vultus, atque obuia signa sacremus.

HOR-

MELOS SECVNDVM.

Tityrus Chorus hortensium Sonoriscus.

VIdistis? Summo fixit de vertice signum
Diua accedentis Corydon, montisq; Coloni.
Chor. Vidimus, & pariter nostris in vultibus ardens
Fixit Amor signum, noua gaudia. diua propinquat.
Tit. At quamdiu nectet moras.
Chor. Mora leuis per horam est.
Tit. Morior: nimis moratur.
Aeuum integrum per horam it.
Chor. Volat hora, vix & hora est.
Tit. Mora Amoris nimis hora est.
Chor. Interea sertum compinge, & floribus adde
Carmen Amœbæum, tecum, Sonorisce, canemus.
Son. Pinge flores, compinge odores belle Cœli ros.
Necte serta blandita diuæ necte quæso flos.
Lux odorum, Regina florum, Verna Amorum pax,
Pompa Veris, Iucunda Siren, Rosa prati fax,
Virginali necte fronti necte sertum floribus
Chor. Quin pergis Sonorisce rosas contendere diuæ.
Iunge lilium nitescens, iunge serto lilium.
Inter omnes diua flores diua adoptat lilium.
Tit. Plecte dextra, plecte sertum plecte Sertum Virgini.
Chor. Hyacinthum fer Amynta.
Fer ligustrum Tityre.
Florille fer narcissulos.
Amaranthos Leporille.
Vettonicas Menalca.
Addat violas Alphesibæus,
Tulipasq; Thyrsis addat, Chromis addat Anemonas.
Tit. Quidquid est vbique florum,
Quidquid est vbique odorum,

Quidquid

Aut virescit in smaragdos,
Aut rubescit in pyropos,
Aut nitescit in topazos:
Nubilo quidquid nigrore,
Glaucino quidquid virore,
Candido quidquid nitore,
Nigricat, virescit, albet.
Deque sylvis, deque pratis ferte gazas floreas.

Chor. *Adsumus & florum viduauimus arua nitore,*
Adsumus omnes.

Tit. *Bene est, adeste Diua.*
Pancarpiam coronam
Compingamus, adeste.

Tit. *Tibi sertum, tibi Diua*
Tibi dextra laborat
Sed qui laborat non amat.

Tit. *Textor Amor florum, quod teximus imbue sertum.*

Chor. *Textor Amor florum texit sub floribus angues.*
At salubribus lacessunt
Amoris angues morsibus?
Cura Amoris anguis est.

Tit. *Mordeat me cura Diuæ:*
Angue Amoris mordear.
Ictus sic peream, si habet
Amor venenum frigidum.

Chor. *Quæ mora? coniuncto disponite flore, sodales,*
Serta Diuæ: perge cantus Sonorisce compingere.

Son. *Nulla mihi vox:*
Virgo dum longè est.
Cæca premit nox:
Nullus cui Sol est:
Iam me vita iam me mœsta relinquit:
Et inter ecce flores,
Et inter ecce odores
Vitale me repente lumen extinguit.
Quid moraris vsque diua quid quid quid?

Sic

Me benigna diua perdes me me me !

Tit. *Quid carmen iuuat in mœstas vrgere querelas,*
Et curis terere ingenium : breuis hora leuabit
Mœstitiam : nostrôs vbi Virgo intrauerit hortos :
Et iam credo prope est : mihi signa experta notaui :
Nam placidos sensim tenuarunt alba nitores
Lilia, & elanguet Rosa fœta ruboribus ostri,
Sic etiam languent Cœlo examinata sereno
Sidera, cum properat Phœbæa lampadis ardor

Chor. *Tu mihi nequidquam solatia Tityre captas :*
Nam mea abest certè Virgo, nec certa propinquat :
Vt ludor, falsis incassum credulus auris !
Vota sinu maiora meo secura putaui.
Credere nunc didici: subitò malè creditur. inde
Pondere librabo mentis quæ deferet aura.

Tir. *Falleris hic etiam. qui serò credere discit:*
Hic dediscit Amorem.

SVBVR-

MELOS TERTIVM.

Chor. Suburb. Excubitor; Montani, Hortenses.

QVi campos summa prospectas arce Rubene
An cernis nostras si Virgo appellet in cras?
Exc. *Longe ego prospicio venientes agmine turmas*
Agrestis illas ambit ornatus: manu
Ramos prætendunt, & nexos compede flores
Ch.Sub. *Sed quid præterea spectas?ne nostra moreris*
Gaudia: dissoluas dubia spe pendula corda.
Exc. *Magnum aliquid certè prospecto, oculiq; liquescunt*
Et labat obtutus tum me sacer excutit horror.
Hic copia affluentis
Decoris omnis it.
Oculus nitens columba,
Capillus auri grex.
Vittata labra cocco,
Tonsæque fœta dens:
Fragmen genæ ruboris
Collumq; turris est:
Ceu capreæ gemelli:
Quos liliŷ explet flos
Duo hinnuli: tumescit
Papilla diuæ sic.
Hic copia affluentis
Decoris omnis est.
Vna mihi dubio sub pectore cura resīdit.
Nam fuscus est oris color,
Diua tota candor est.
Sol euntem decolorauit: tamen formæ decor
Integer in ore dia detrahit laudis nihil.
Est Sole Virgo decolor,
Ipsa quoque Solem decolorauit soror,

Simul

Simul & parens Amorū
Quem contexit in vmbra.

Sub. *Frustra adbibes caussas: vix est cur diua probetur.*

Exc. *En prope monticolum, atque hortis assueta caterua*
Procedit: facilè accedet cur Diua probetur.

Sub. *Quid vos impulit ô gens*
Montis colona? quid vos
Indigenæ Hortorum, & Flora proxima cura.

Mo.Ho. *Hûc nos diua volentes*
Traxit diua, repente
Lapsa ab ethere summo.

Sub. *Quid est, quid est referte*
Vnde diua probetur.

Mo.Ho. *Mille mille mille Diua mille monstrat tesseras*

Mont. 1. *Notus amnis est propinquus*
Vbi montis iuga vergunt:
Hic æstuosus inter
Vndasq; multigrumas,
Ripasq; tortuosas
Celeri agitur rotatu.
Hic pede[illegible] illa fixit
Furor illico resedit.
Muralis vnda semitam coronalem
Hinc inde struxit, & parauit argento,
Vestigioq; sicco.
Diua per vdas isset arenas,
Arca nempe Numinis,
Nisi lèniter fremiscens
Ad osculum latenter
Ludibunda fluxet vnda,
Et momordisset oras
Pallæ fluentis & pedem
Mille mille mille Diua mille monstrat tesseras

Mōt. 2. *Per tesqua. perque saltus*
Saui infremunt leones,
Mugitibusq; terrent,
Et rictibus lacessunt,

Et vn-

Tesqua beauit.
Mulsere dura caudis
Blandientibus ilia;
Et ceruice leones
Obstipa contrà venere: vnaq; marita
Conuenere leæ cum tygribus atque dracanis:
Confluxit vna dente deterso lupus,
Rostroq; teter urus, & barrus ferox:
Astitere vna Cercopitheci,
Vna Rhinocerotes flammiuomaque Chimera.
Has illa lucibus bonis
Vbi sospitauit: annuens nutu manus
Feras remisit non feras.
Mille mille mille Diua mille monstrat tesseras.

Hort. *Venerat iam diua in hortos*
Animaueratq; ocellis
Florea regna.
Lusere prata passim,
Tonsilisq; sibilanti sylua collusit coma.
Deproperauit sedula fœtus
Terra, & vna purpurarunt,
Candicarunt, splenduerunt flosculi.
Ipsa Rosa Veris ardor
Imperatrix temporum,
Lapsa de folio repente
Pedem adorauit, vernaq; fecit
Sacra purpureis vstulanda flammis;
Et addidisset pabulum flammis vepres:
Spontè nisi aspecta cessissent Virgine vepres.
Mille mille mille diua mille monstrat tesseras.
Diuinitatis ipsa Virgo est tessera.
Serò nosces crede numen, hac nisi adsit tessera.

F I N I S.

A

HEROI SPECTATISSIMO:

VIROQUE SUMMIS

Eruditionis dotibus accumulatiſsimo;

Tàmq; propter morum ſuavitatem, quàm pectoris integritatem vere venerando,

DOMINO

BULSTRODIO WHITLOCCIO,

Maximo Legum, Literarumq; Munimento, Magnifici Caſtri *Windeſorienſis*, & *Foreſtiarum* Protoconſtabulario, Magni Sigilli Angliæ Cuſtodi, digniſſimo; nec non ad Auguſtiſſimam Sereniſſimamq; *Sueciæ Reginam* Præpotentiſſimo *Legato*,

F. F. Fœlicitatem, Victorias, Triumphos apprecatur.